



# The Holy See

---

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

*DECUS EXIMIUM*

BASILICAE MINORIS TITULO  
AC PRIVILEGIIS COHONESTATUR  
ECCLESIA PAROECIALIS S. WENDALINI  
IN OPPIDO VULGO « ST. WENDEL » APPELLATO,  
TREVIRENSIS DIOECESIS.

Ad perpetuam rei memoriam. — Decus eximium Saravi regionis merito habetur templum Sancti Wendalini, in cognomini oppido colli impositum, quasi propugnaculum Fidei, pietatis monumentum, civium praesidium singulare. Quae ecclesia medio saeculo quarto decimo, auctore Balduino de Lucemburgo, Archiepiscopo Trevirensi et Principe Electore, extrui copta est et post centum fere annorum spatium perfecta. Non est quin operis huius amplitudinem, Gothicum structurae genus, quo altius exsurgit, turrim tripartitam, suggestum lapidem aliasque res artificiosas admiretur. Ibi praeclaro sepulcro conditum est corpus Sancti Wendalini, quem a medio, quod dicunt, aevo ad praesens usque tempus Christifideles publica privata que veneratione incensis animis prosequuntur. Iam vera haec religio, e templo illo velut e capite profecta, non solum in Germaniam, sed in alias etiam regiones pervasit. Frequentes turmae piorum ad huius cultus domicilium princeps solent accedere, maxime die eiusdem Caelitis festo, XIII mensis Octobris, et per sollemnem hebdomadam post Pentecosten, qua, feria scilicet secunda, e pristina consuetudine equestris ducitur pompa. Templum praeterea aliis Sanctorum reliquiis commendatur et sacra affuit supellectile pretiosa. Quae cum animo reputans memorque sescentesimum moxabitur esse annum, ex quo ecclesia esset consecrata — cuius rei causa peculiaria sollemnia huius Caelitis honori agentur —, et cupiens Christifideles vel ad impensiorem pietatem provocare, Venerabilis Frater Matthias Wehr, Trevirensis Episcopus, cuius in iurisdictione laudatum hoc templum est positum, Nos rogavit, ut idem Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenter admissis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac

matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi  
perpetuumque in modum ecclesiam paroecialem Deo in honorem Sancti Wendalini in oppido  
cognomini, seu, uti vulgo appellant, « St. Wendel », consecratam, ad dignitatem Basilicae Minoris  
evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine honestatis rite  
competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes  
praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces hlgiter ex stare ac permanere; suosque plenos  
atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et  
in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc  
et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter  
attentari contigerit.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Aprilis, anno  
MCMLX, Pontificatus Nostri secundo.*

D. Card. TARDINI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*